

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

# **BOLLETTINO**

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0669

Sabato 12.09.2015

## **Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale alle celebrazioni conclusive del 1500° anniversario della fondazione dell'Abbazia di Saint-Maurice (Svizzera) (22 settembre 2015)**

In data 25 luglio è stata pubblicata la nomina del Card. Kurt Koch, Presidente del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani, a Inviato Speciale del Santo Padre alle celebrazioni conclusive del 1500° anniversario della fondazione dell'Abbazia di Saint-Maurice (Svizzera), che avranno luogo il 22 settembre 2015.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione Pontificia composta dai seguenti ecclesiastici:

- S.E. Mons. Markus BÜCKEL, Vescovo di Sankt Gallen e Presidente della Conferenza dei Vescovi svizzeri;
- Rev.mo Dom Marc de POTHUAU, O. Cist., Abate dell'Abbazia Cistercense di Hauterive, Fribourg.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Kurt Koch:

### **Lettera del Santo Padre**

*Venerabili Fratри Nostro*

*CONRADO S.R.E. Cardinali KOCH*

*Pontificii Consilii ad Unitatem Christianorum fovendam Praesidi*

Millesimus quingentesimus iam appetit annus ex quo tempore Abbatia Territorialis Sancti Mauricii Agaunensis sua recenset primordia. Solum istud memoriam servat huius martyris sociorumque, qui per effusum cruorem fulgidam fidei dederunt testificationem. Monasterium exinde exstitit quod saeculorum decursu tum quod ad humanitatem, tum quod ad spiritale studium attinet omnimode floruit.

Admodum ideo decet et convenit ut eventus hic congruenter commemoretur et optimo iure extollatur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem non huius rei dumtaxat recordationem repetendi, verum homines ad

firmiorem fidem certioraque proposita, pristinis probandisque illis instantibus exemplis, permovendi.

Ipsius igitur Domini benignitate, mensis Septembris XXII die Agaunensi in Abbatia sollemnis erit a condita illa communitate, quinto decimo exacto saeculo, commemoratio, ut ista inde fere sumens vim, copiosam segetem fundat et laetiores dies experiatur.

Quocirca ut ritus hic magnificentius efficaciusque evolvatur, Reverendissimi Iosephi Roudit, quondam Abbatiae Territorialis Sancti Mauritii Agaunensis Abbatis, rogatis subvenire libenter cupientes, mittere aliquem eminentem Praesulem statuimus, qui partes Nostras sustineat et Personam agat. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, qui, illorum locorum inclitus filius, prorsus idoneus occurris ad ministerium hoc praestandum et luculenter explendum. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, **Missum Extraordinarium Nostrum** renuntiamus et constituimus ad celebrationem supra diximus die XXII mensis Septembris agendam, videlicet Abbatiae Territorialis Sancti Mauritii Agaunensis constitutae millesima et quingentesima interveniente memoria.

Universis igitur Abbatiae Sodalibus, nominatim Abbati Ioanni Caesari Scarcella, fidelibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes, dum illius recoluntur incunabula et sanctorum martyrum praeclara exempla. Nostro nomine Benedictionem Apostolicam impertias volumus, quae sit animorum renovationis signum et futuro de tempore supernarum gratiarum documentum, preces simul petentes ut efficaciter Petrinum munus exsequi valeamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIII mensis Augusti, anno MMXV, Pontificatus Nostri tertio.

FRANCISCUS

[01457-LA.01] [Testo originale: Latino]

---